



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

3. Siste Viator Iter.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

comm. reip. Rom. c. 6. Sicambros enim, ante emigrationem, finitimos Cheruscis, ubi Dethmoldia, & latè in diœcesi Paderbornensi habitasse, ex Dione suprâ probatum.

3. LOCA VASTA. Tum ob solitudinem, tum ob amplitudinem *Tentoburgiensi saltus*, qui in diœcesi Osna-brugensi exsurgens, per Ravensburgicum & Lippiensem comitatum, & totam Paderbornensem ditionem longissimo montium silvarumque tractu porrigitur. Vasta enim loca appellantur, quæ vel magnitudinis terminos excedunt, vel deserta & solitaria sunt, nec sine horrore peragantur. Vossius in etymolog.

3. SISTE VIATOR ITER. Vetus in monumentis, & frequens his verbis compellendi viatorem formula. Meretur hanc moram propter Vari cladem, & victoriam Caroli M. in Romanâ & Francicâ historiâ inclutus saltus.

4. HIC RAPTAS AQVILAS CLADIS MONVMENTA LATINÆ, &c. Tacit. l. i. An. Florus. lib. 4. c. 12. alique suprâ citati.

5. VARI RELIQUIASQUE DVCIS. Tac. lib. i. An. *Hand procul Tentoburgiensi saltu, in quo reliquie Vari, legionumque inssepulta dicebantur*, & locis glebosis caluæ, seu crania hominum disjecta, ossaque passim effodiuntur. Hamelman. in genealogiâ com. Lipp. Ilac. Pontanus lib. i. orig. Franc. c. 9.

6. EGIT ET HIC CELEBREM THIETMALLO TESTE TRIVMPHV. Celebrem hinc triumphum Carolus M. egit, quia prælio, non auspicijs ejus tantum, ut pleræque alia, verum etiam ductu inito, interfuit, & ingentem victoriam, innumerabili hostium multitudine interfectâ, reportavit; Eginhardus in vit. Caroli. M. Astronomus in reb. gest.